

Vere tument terræ & genitalia semina poscunt,
Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium latè descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fœtus,
Avia tunc resonant avibus virgulta canoris;
Et venerem certis repetunt armenta diebus.

Censetur idcirco Ver omnium temporum esse saluberrimum gignendis, augendis, servandisque rebus, unum omnium maximè opportunum. Contra anno Solis recessu senescente plurima occidere, omnium certè vires marcescente calore, frangi; hinc autumnum haberi perniciosum. Atque hæc quidem Sol annua vicissitudine designat. Unde conspicitur, quanta vis siderum sit in hæc inferiora; nulla verò sine virtute, causæ primæ potentissimæ, summæ & præsentissimæ, à qua omnia, in quæ omnia, per quam omnia, ad quam omnia, quæque super omnia.

§. 2. Consideranda deinde ratio causæ remotæ juxta atque proximæ est, ne tamen illa huic præferatur. Per hanc enim physica nostra scientia audit, cum scire sit rem per causam, non remotam, sed proximam cognoscere. Ipsa corpus naturale immediate producit, quemadmodum remotæ mediātib; aliis causis. Hinc B. D. Sennertus in Hypomn. c. 1. p. 366. Cœlum, inquit est causa communis omnium sublunarium generationi inserviens. Itaque pro proximè spontè ortorum solum poni non potest, sed cœlum & spontè ortorum & eorum, quæ non spontè oriuntur generationem æquè suo modo promovet, neque ratio dari potest, cur spontè natorum generationem potius promovere debeat, quàm non spontè natorum. Usque adeò igitur cum ranæ, vermes, mures, metalla & similia generantur, malè ad Solem aliasque stellas res præcipuè defertur.

§. 3. Porro intendit per se Causa Principalis corporis naturalis productionem, & instrumentum, si quo utitur dirigit; Instrumentalis verò effectum per se non intendit, & à principali dirigitur. Quæ duæ causæ maximè differunt & quidem fine atque agendi modo; Illo, quia altera finem per se intendit, altera non; Hoc, quia altera dirigit, altera dirigitur. Hinc
non